

totius Psalmi ideam principalem, et rationem ob quam ut proprius Officii vel Festi sit assignatus.

## § 3. VERSUS

Q. 26. *Quid est Versus? Ubinam dicitur in diversis Horis?*

R. I. Versus est brevis sententia, festo vel tempori congrua, ex Sacra Scriptura fere semper deprompta. Constat versu proprie dicto (V.), qui est ad instar invocationis ad Deum, et dicitur a cantore vel lectore; et responso (R.), quo populus, versu velufi excitatus, sensum eundem sua vice exprimit.

II. Dicitur: ad Matutinum, post ultimum Psalmum et Antiphonam uniuscujusque Nocturni, antequam dicatur *Pater noster*, et pronuntietur Absolutio; — ad Laudes et Vesperas, post Hymnum; — ad reliquas Horas, in fine Responsorii brevis; — in Commemorationibus faciendis, ante Orationem. (Rubricæ generales, Tit. XXIV, nn. 1 et 3.)

Versus a vertendo dicitur, — vel quia ad ejus cantum se omnes olim vertebant ad Orientem, aut ad Altare; — vel quia, quando auditur, facilius cogitatio transit de præcedenti affectu ad sequentem; siquidem Versus excitet corda cantantium eorumque intentionem, ad requirendum cum majori devotione faciem Dei in subsequenti Oratione.

Etenim in Nocturnis excitamur ad Orationem Dominicam et Absolutionem; ante Cantica Evangelica excitamur ad eorum intelligentiam, et ad proximam Orationem; denique ante Orationem et in Commemorationibus semper adhibetur Versus ut Oratio ferveat.

## § 4. ABSOLUTIONES

Q. 27. *Quid est Absolutio? Quotuplex occurrit in Horis? Unde nomen habet?*

R. I. Absolutio est aliqua brevis deprecatio facta sub finem Psalmorum cujusque Nocturni.

II. Triplex hujusmodi deprecatio describitur in Breviario; — vel pro quolibet Nocturno Matutini, in Officio quod novem Lectiones ad Matutinum habet; scilicet: in primo Nocturno dicitur Absolutio: *Exaudi Domine Jesu Christe preces servorum tuorum, et miserere*

*nobis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. R. Amen*; in secundo Nocturno: *Ipsius pietas et misericordia nos adjuvet, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. R. Amen*; in tertio Nocturno: *A vinculis peccatorum nostrorum absolvat nos omnipotens et misericors Dominus. R. Amen*; — vel pro diversis hebdomadæ Feriis, cum unus tantum Nocturnus dicitur; nam si fiat Officium trium Lectionum, Absolutio sumitur hoc ordine: Feria secunda et quinta dicitur Absolutio primi Nocturni (*Exaudi*); Feria tertia et sexta, secundi Nocturni (*Ipsius pietas*); Feria quarta et Sabbato, tertii Nocturni (*A vinculis*).

In Matutinis Tenebrarum majoris Hebdomadæ, et in Officio Defunctorum Absolutiones numquam dicuntur. (Rubricæ generales, Tit. XXV, nn. 1 et 2.)

III. Vocatur **Absolutio** — vel a prece absoluta, qua primitus Nocturnus terminabatur, cum nondum Lectiones addebantur; etenim antiquitus post dictos Psalmos instituebatur aliqua quasi mentalis oratio, cujus locum hodie tenet Oratio Dominica; cui orationi finem imponebat, seu quam solvebat qui præerat, omnium vota colligens in brevi orationis formula; — vel dicendum triplicem illam Orationem Absolutionis nomine appellari, sumpta denominatione a nobiliori quæ dicitur post recitatos Psalmos tertii Nocturni, in qua continentur ea verba: *A vinculis peccatorum nostrorum absolvat nos, etc.*

Hujusmodi breves deprecationes etiam terminant Primam et Completorium, sed in his Breviarii locis designantur sub nomine **Benedictionis**. Aliæ vero Horæ omnes terminantur propriis diversisque, secundum tempus vel festum, Orationibus.

## ARTICULUS II

## De partibus quæ pertinent ad Lectiones

## § I. LECTIONES IN NOCTURNIS MATUTINI

Q. 28. *Quænam fuit antiqua, et quænam est hodierna disciplina de Lectionibus in Matutino?*

R. I. Romæ olim in Missa tantum, non vero in no-



ctis Officio solebant haberi Lectiones. Quo tempore fuerint introductæ in Officium plane non constat: neque quæ materia peculiari ratione præscripta fuerit, aut quæ forma. Primitus e sola Sacra Scriptura desumptæ videntur; verum jam inter fragmenta Epistolarum S. Leonis magni († 461) refertur documentum describens ordinem sacrarum Lectionum, quæ e Scriptura Sacra pro toto anni tempore dispositæ, simul et e Tractatibus SS. Patrum, ac Expositionibus Veteris et Novi Testamenti, prout ordo poscet, in Ecclesia legantur. (Cfr. Acta S. Sedis, IV, 1868, p. 498.)

Sæculo septimo institutus est ritus, ut Lectiones e Veteri aut Novo Testamento petitæ pro primo Nocturno, explicarentur per Sanctorum Patrum sermones in secundo Nocturno perlegendos, et Evangelii diei currentis initium, cum homilia, seu cujusdam Patris ejusdem Evangelii explanatione, ad tertium legeretur Nocturnum. — Tria hæc Lectionum genera Dominicis tantum festisque diebus erant destinata: in Feriis vero, quæ unicum tantum Nocturnum habent, nihil nisi e Scriptura Sacra excerptum, juxta antiquum ritum, recitabatur; qui Feriarum ritus remansit usque ad tempora S. Pii V, quando Homiliæ in Evangelia, tam Quadragesimæ quam Vigiliarum diebus, legi cœperunt.

II. Itaque hodierna disciplina de Lectionibus in Matutino sequens est: « In Duplicibus et Semiduplicibus dicuntur novem Lectiones, id est in quolibet Nocturno tres; in Feriis, et in Festis simplicibus leguntur tantum tres Lectiones. » (Rubricæ generales, Tit. XXVI, n. 1.) Unde distinguuntur Officia ex numero Lectionum, et vocantur **Officia novem Lectionum**, et **Officia trium Lectionum**.

Q. 29. Quid præponitur cuicumque Lectioni in Matutino? Explica.

R. Lectionem præcedit Benedictio. Juxta veterem disciplinam lector, antequam Lectionem inciperet, a præposito Benedictionem petebat; primitus hoc faciebat verbis: *Benedic, Pater*; postea vero usu venit formula: *Jube domne benedicere*. — *Jubere* in hac formula significat *velle*, seu *dignari*, et petitionem majori cum animi de-

missione ac veneratione conceptam exprimit. Benedictionem petit lector, magnæ iterum humilitatis gratia, a *domno*, ab eo scilicet qui Officio præest, non vero immediate a *Domino* Deo: nomen quidem *Domini* soli Deo tribuitur, syncopatum autem *domni* tamquam honoris titulus homini datur. Itaque formula petitionis idem sonat, ac si diceretur: *velis*, seu *digneris, domne, benedicere*; *da, domne, benedictionem*. De hac formula scribit S. Petrus Damianus, alio modo eam interpretans, quod lecturus non a Sacerdote, sed ab eo cui Sacerdos jusserit, se postulat benedici; Sacerdos autem, non subjecto cuiquam benedicendi delegat officium, neque per seipsum benedicere præsumit, sed prius ut a Deo, qui est super omnia benedictus, erogetur exposcit. — Docet idem Sanctus, quod ille qui Officium solus recitat, eodem pacto illud recitare tenetur quam si cum aliis, quia totius Ecclesiæ nomine orat et loquitur: proinde semper dicendum est syncopatum vocabulum *domne* ad hominem dictum, non autem *Domine*, qui terminus in liturgica lingua soli Deo tribuitur. (Cfr. Conferentiæ Ecclesiasticæ Archidioceseos Mechliniensis anni 1887; ex Liturgia Q. v.)

Falsa est sententia quorundam auctorum, qui docent obligatum ad Horas canonicas, cum solus Officium recitat, debere dicere in Benedictione Lectionum: *Jube Domine*. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 679.)

NOTA. I. In Matutinis Tenebrarum majoris Hebdomadæ, et in Officio Defunctorum Benedictiones non dicuntur. (Rubricæ generales, Tit. XXV, n. 1.)

NOTA. II. In publica Officii recitatione semper dicitur: *Jube domne benedicere*, etiamsi benedicens sit Episcopus. — Quando Episcopus cum cappa ad thronum officium faciens nonam Lectionem cantat, tunc dicit: *Jube Domine benedicere*, et non *Domne*; sed in casu omittitur ipsa Benedictio, et Chorus absolute cantat: *Amen*. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. V, n. 9.) Attamen quicumque alius dignior in Choro, quisquis ille sit, nonam Lectionem dicens, ante Lectionem dicit: *Jube domne benedicere*, cui respondet secundus dignior e Choro: *Ad societatem, etc.* (Decret. S. Rituum



Congregationis, 15 Februarii 1659, n. 1108, antiq. 1968, ad 2.)

Q. 30. *Quisnam est Ordo Benedictionum in Matutino?*  
R. Benedictionum ordo sequens est :

A) In Officio novem Lectionum dicuntur ante Lectiones, per ordinem, ut ponuntur in Breviario ante Psalterium, scilicet ;

In primo Nocturno, ante primam Lectionem Benedictio est : *Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus. R. Amen* ; ante secundam Lectionem : *Unigenitus Dei Filius nos benedicere et adjuvare dignetur. R. Amen* ; ante tertiam : *Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. R. Amen.*

In secundo Nocturno, ante primam Lectionem dicitur Benedictio : *Deus Pater omnipotens sit nobis propitius et clemens. R. Amen* ; ante secundam : *Christus perpetua det nobis gaudia vitæ. R. Amen* ; ante tertiam : *Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris. R. Amen.* — Istæ tres Benedictiones sunt ordine quarta, quinta et sexta ex novem totius Matutini novem Lectionum, et ita quidem indicantur in Breviario.

In tertio Nocturno, ante primam Lectionem Benedictio est : *Evangelica lectio sit nobis salus et protectio. R. Amen* ; ante secundam : *Divinum auxilium maneat semper nobiscum. R. Amen* ; ante tertiam : *Ad societatem civium supernorum perducat nos rex Angelorum. R. Amen.* — Istæ tres Benedictiones sunt ordine septima, octava et nona ex novem totius Matutini novem Lectionum, et ita indicantur in Breviario.

NOTA. Secunda tertii Nocturni, seu totius Officii novem Lectionum octava Benedictio : *Divinum auxilium, etc.*, dicitur quando Officium fit de Dominica ; et etiam in Festis Domini, ex. gr., Ascensionis Domini, Sacri Cordis Jesu, Pretiosissimi Sanguinis, in Officiis de Passione Domini, uti Orationis Domini in monte Oliveti, etc.

Si autem Officium novem Lectionum fit de Sancto, secunda tertii Nocturni Benedictio dicitur : *Cujus festum colimus, ipse (vel ipsa) intercedat pro nobis ad Dominum. R. Amen* ; et quando fit de pluribus Sanctis, dicitur : *Quorum (vel Quarum) festum colimus, ipsi (vel ipsæ) inter-*

*cedant pro nobis ad Dominum. R. Amen* ; et si Officium fit de S. Maria, dicitur : *Cujus festum colimus, ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum. R. Amen.*

Hæc Benedictio : *Cujus, vel Quorum festum etc.* dicitur non tantum in die Festo sed etiam per totam Octavam Sancti vel Sanctorum. Dicitur etiam hæc Benedictio quando recitatur Officium votivum de Sanctis, ex. gr., de Sanctis Angelis in Feriis secundis, de S. Joseph in Feriis quartis, etiamsi non sint hæc Officia Festorum proprie dictorum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Maji 1736, n. 2319, antiq. 4043, ad Tit. XXV, 1.)

NOTA. Singulare videri potest quod in utroque Festo S. Michaelis Archangeli, tum 8 Maji, tum 29 Septembris, octava Benedictio dicatur, non in singulari : *Cujus festum etc.*, sed in plurali : *Quorum festum etc.* ; dum in Festis S. Gabrielis Archangeli, 18 Martii, et S. Raphaelis Archangeli, 24 Octobris, hæc Benedictio præscripta habeatur in singulari. Sed animadvertendum est, quod in utroque prædicto Festo S. Michaelis Ecclesia honorare vult et intendit non solum ipsum Principem cœlestis militiæ, sed et totum exercitum Spirituum cœlestium, qui Archangelo Michaele auctore ac duce, conspiracyone cum eodem facta, rebellantes angelos ad tartara detruserunt. Et ideo S. Rituum Congregatio declaravit in Officio S. Michaelis Archangeli « dicendum : *Quorum festum colimus* ; quia est Festum omnium Angelorum, quemadmodum clare patet ex ipsis Lectionibus, et in Oratione omnium Angelorum patrocinium imploratur. In Officio autem S. Gabrielis, ejus Festum colitur, et in Oratione ejus auxilium et patrocinium invocatur : prout quoque fit in Officio S. Raphaelis, sicuti apparet in Oratione quæ dicitur in eorum Officiis ; ideo dicendum esse : *Cujus festum colimus etc.* » (Decret. 13 Septembris 1692, n. 1885, antiq. 3295, ad 2.)

Si in tertia Lectione tertii Nocturni legendum sit aliud Evangelium cum Homilia, Benedictio erit : *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta. R. Amen.*

NOTA. Frequentius hoc jam fit ; nempe quando in aliqua Dominica Officium dicitur, non de Dominica, sed de Festo alicujus Sancti in Dominica occurrente ; item in Feriis majoribus Quadragesimæ, et quibusdam aliis ; tunc enim in Ordine Officii divini, seu Directorio semper annuntiatur nona Lectio dicenda de Homilia Dominicæ, vel Feriæ, cujus in casu fit Commemoratio, et Lectioni præponitur Benedictio supra indicata.

B) In Officio trium Lectionum :

Si sit de Feria in qua singulæ tres Lectiones sunt de



Scriptura, Benedictiones sumuntur hoc ordine : Feria secunda et quinta, dicuntur Benedictiones primi Nocturni ; Feria tertia et sexta, secundi Nocturni ; Feria quarta et Sabbato, tertii Nocturni, excepta prima Benedictione (*Evangelica*), pro qua dicitur sequens : *Ille nos benedicat, qui sine fine vivit et regnat. R. Amen.*

Si sit de Feria in qua singulæ tres Lectiones sunt de Homilia super Evangelium, quæcumque sit Feria, semper dicuntur Benedictiones ut in tertio Nocturno, scilicet : prima Benedictio erit : *Evangelica lectio* ; secunda : *Divinum auxilium* ; tertia : *Ad societatem*.

Si Officium sit de Sancto vel de Sancta trium Lectionum (ritus simplicis), Benedictiones semper dicuntur hoc modo : prima : *Ille nos benedicat* ; secunda : *Cujus* (vel *Quorum*, vel *Quarum*) *festum colimus, ipse* (vel *ipsa*) *intercedat* (vel *ipsi* vel *ipsæ intercedant*) *pro nobis ad Dominum. R. Amen* ; tertia : *Ad societatem*.

Q. 31. *Quomodo concluduntur Lectiones ? Explica.*

R. Lectiones concluduntur per precem : *Tu autem Domine miserere nobis*. Olim adeo prolixæ erant Lectiones, ut ad plures paginas protraherentur, nec finis eisdem imponebatur, donec qui Choro præsidebat, ut lector cessaret signum daret ; quo dato, lector dicebat : *Tu autem Domine miserere nobis* ; et Chorus subjungebat : *Deo gratias*. — Hac formula confitentur Lector et auditores, in Lectione fuisse animadversum, eorum vitam non consentire cum eis quæ lecta fuerunt ; simulque rogant, ut possint per auxilium misericordiæ divinæ verba Lectionis in corde retinere et in vita exsequi. Chorus respondet : *Deo gratias*, gratias agens pro accepto beneficio Lectionis.

NOTA. In triduo majoris Hebdomadæ, et in Officio Defunctorum numquam dicitur hæc conclusio.

A. LECTIONES PRIMI NOCTURNI

Q. 32. *Quomodo vocantur Lectiones primi Nocturni ? Quare ?*

R. Lectiones primi Nocturni vocantur Lectiones de Scriptura, quia semper e Scriptura Sacra desumuntur.

S. Gregorius VII († 1085), per Decretalem *Sancta Romana* (Pars I, Distinctio XV), ordinem harum Lectionum quem hodie servamus præscripsit, etiamsi præcedentibus ævis idem fere jam observatus fuerit. — In assignandis his Lectionibus, duplicem finem habuit Ecclesia, nempe intra annum percurrere totam Scripturam, et deinde has Lectiones, quantum fieri potuit, accommodare ad varium characterem diversorum temporum anni ecclesiastici.

NOTA. I. Quia præ brevitate Lectionum tota Scriptura in Lectionibus legi nequit, saltem pars aliqua omnium fere librorum eorumque initium debet legi ; sed partium selectio sensu tam subtili et cura tam exquisita facta fuit, ut universa Scriptura sub completo conspectu posita videatur.

Evangelii vero non datur in hac distributione Scripturæ per annum locus, quia ipsa quotidie leguntur in tertio Nocturno et in Missa. — Quidam etiam alii libri non leguntur, præcipue postquam Homiliæ Patrum et Martyrum Acta in Officio fuerunt inserta ; tales sunt Ruth, Judices ; item omittuntur Libri Paralipomenon, Esdras et Baruch. — Canticum Canticorum in Officio de Tempore omittitur, quia legitur in Festo Assumptionis Deiparæ, et etiam infra ejus Octavam, quando Officium de hac Octava dicitur.

NOTA. II. Quo ordine distribuantur libri Sacræ Scripturæ per annum legendi, describunt versus sequentes :

« Disce per hoc scriptum quid sit vel quando legendum.  
Adventus proprie vult sermones Isaïæ.  
Post Natale sacrum, recitat sacra lectio Paulum.  
Quinque libros Moysi, tibi septua quadraque misit.  
Vult sibi scripta legi Jeremiæ passio Christi.  
Actus apostolicus sequitur post Pascha legendus.  
Hinc Apocalypsim lege, Canonicasque vicissim.  
Post Pentecosten Regum liber exit in hostem.  
Inde per Augustum retinet Sapia scutum.  
Per totum mensem sapiens Salomon tenet ensem.  
Cantat September Job, Tobiam, Judith, Esther.  
Octobri mense Machabæa trophæa recense.  
Iste Ezechiel, Daniel, durabunt mense Novembri.  
Postea tu repetes bis sex in fine Prophetas. »

NOTA. III. Ratio autem hujus Ordinis sequens datur :

1° Tempore Adventus legitur Prophetia Isaïæ, quia nullus apertius locutus est de Nativitate Christi.  
2° Post Nativitatem, ab Epiphania ad Septuagesimam, leguntur Epistolæ S. Pauli ; vel quia Apostolus gentium magis quam cæteri allaboravit manifestationi Christi Domini ; vel



etiam, quia ipse perfecte docuit, quomodo novam cum Christo nascente debeamus instituere vitæ rationem.

3° A Septuagesima usque ad tempus Passionis e libro **Genesis** et **Exodi** memorantur creatio, lapsus Adami ejusque sequelæ, quia celebraturi sumus Christum Redemptorem quem meruit habere hæc culpa, ejusque mortem, qua nos liberavit a peccato et eduxit e servitute.

4° **Jeremias** legitur tempore Passionis, quia ipse descripsit et luxit dolores Salvatoris.

5° Post Pascha leguntur **Actus Apostolorum**, referentes initia Ecclesiæ fervoremque fidelium, tamquam fructus Resurrectionis Christi, deinde **Apocalypsis** et **Epistolæ Apostolorum**, ut testimonium Resurrectionis Christi quod magna virtute reddebant Apostoli.

6° Immediate post Pentecosten leguntur **Libri Regum** in quorum lectione significatur tempus Martyriorum bellorum et persecutionum Ecclesiæ post adventum Spiritus sancti.

7° Ut discamus vitam christianam sapienter instituere, leguntur mense Augusti **Libri Sapientiales** (**Proverbia**, **Ecclesiastes**, **Sapientia**, **Ecclesiasticus** et **Canticum**), et insimul, quia verba movent, exempla vero trahunt, christianæ vitæ virtutum proponuntur mense Septembris exempla **Job**, **Tobias**, **Judith** et **Esther**, ut eorum imitemur patientiam, prudentiam, fortitudinem et temperantiam. — Ut autem ad luctamen contra hostes vitæ christianæ incitemur, recensentur mense Octobris pugna ac victoria **Machabæorum**; et tandem mense Novembris accedunt **adhortationes Prophetarum** eorumque consolationes de mox venturo Messia, in lectionibus **Ezechiel**, **Daniel**, et **XII Minorum Prophetarum**.

Ita regulariter leguntur **Lectiones** primi Nocturni de Scriptura, quæ suo quovis totius anni die occurrit legenda, quemadmodum assignantur in **Officio de Tempore**; propterea sunt dictæ de Scriptura occurrente.

#### B. LECTIONES SECUNDI NOCTURNI

Q. 33. *Quænam Lectiones dicuntur in secundo Nocturno?*

R. Diebus Dominicis, et etiam in quibusdam diebus hebdomadam per annum, leguntur in secundo Nocturno Sermones, aut Tractatus Sanctorum Patrum. Ita jam præscriptum reperitur a **S. Benedicto** († 543), et tamquam usum hoc notat **S. Gregorius Magnus** († 604); hi Sermones aut Tractatus primitus ad arbitrium Episcoporum vel Prælatorum assignabantur legendi; sed postea (temporibus **Caroli Magni**) ordinata fuerunt **Lectionaria** ex Sanctorum Patrum Sermonibus et Tractatibus compilata, e quibus **Lectiones** determinatæ,

plerumque circa Scripturam primi Nocturni legerentur. — Sæculo octavo in Ecclesia Romana etiam inolevit mos legendi **Acta Sanctorum** in eorum Officiis; et hodie tres **Lectiones** secundi Nocturni in **Festis Sanctorum** sunt de eorum vita, vel de aliquo **Sermone**, aut **Tractatu**, qui eis convenit; « quæ, si non adsint propriæ, leguntur ex **Communi Sanctorum**. Ex quo etiam **Communi** completur numerus trium **Lectionum**, quando **Officium** fit novem **Lectionum** de aliquo **Sancto**, qui habet tantum unam vel duas **Lectiones** proprias. » (**Rubricæ generales**, **Tit. XXVI**, n. 2.)

NOTA. Quas nunc habemus de vitis Sanctorum, propositæ tum ad cultum Sanctorum, tum ad nostram pietatem fovendam, et ad eorum imitationem nos provocandum, eæ fuerunt a Cardinalibus **Bellarmino** et **Baronio** recognitæ, et approbatæ sub **Clemente VIII**; qui rejecerunt ex eis omnia quæ jure merito poterant in dubium revocari; quæ vero controversa erant, sed tamen alicujus gravis auctoris testimonio suffulta aliquam haberent probabilitatem, retenta sunt eo modo, quo erant, quo falsitatis argui non possent; quamvis forsitan altera sententia sit a pluribus recepta.

Nonnulla in **Lectionibus** de vitis Sanctorum incerta, suspectæ fidei, et difficultatibus seu controversiis subjecta recognovit **Congregatio specialis peritorum** a **Benedicto XIV** instituta, in examine peracto annis 1745 ad 1747, pro reformatione **Breviarii**; sed infectum remansit hujus correctionis opus. (Cfr. **Battifol**, *Histoire du Bréviaire Romain*, pag. 305 et sqq.) Inter hæc, ait **Azevedo** (ex **Benedicto XIV**), tuto asseri posse videtur, facta **historica**, in **Breviario Romano** relata et approbata, non modicam obtinere auctoritatem; non autem vetitum esse, ne modeste et cum gravi fundamento difficultates de eis excitentur, et **Sedis Apostolicæ** judicio subjiciantur.

Non raro etiam, quæ a criticis jam supposititia, imo falsa habebantur aliquando, hodie dum ex recentius inventis et illustratis monumentis antiquitatis, et ex studiis **Sacræ Archæologiæ** feliciter confirmata reperiuntur; quare sapienter admonet **Pius IX** cultores **historiæ ecclesiasticæ**, ut hac in re caute se gerant. (**Decret. S. Rituum Congregationis**, 20 Augusti, confirmatum 1 Septembris 1870; cfr. **Acta Sanctæ Sedis**, VI, 1870, pag. 84.)

Ceterum, si quid ex diligenti examine mutandum aut corrigendum judicatur, id data occasione mutatum et correctum reperire est; et ita his ultimis annis prodierunt in **Decreto S. Rituum Congregationis**, 2 Julii 1883, a **SS. D. N. Leone Papa XIII** approbato, emendationes quarundam **Lectionum** **historicarum** in **Festis**: **S. Marcelli**, **Papæ et Martyris**, 16 Januarii; **SS. Cleti et Marcellini**, **Pont. et Mart.**, 26 Aprilis; **S. Silverii**, **Pontificis et Martyris**, 20 Junii; **S. Pii I**, **Pontificis et Martyris**,



50 (Q. 34) De Lectionibus tertii Nocturni

11 Julii; SS. Proti et Hyacinthi, Martyrum, 11 Septembris; S. Silvestri, Papæ et Confessoris, 31 Decembris. (Cfr. Directorium anni 1884.) Istæ modificationes editæ fuerunt, ut in novis Breviarii editionibus inseri debeant; ad eas assumendas tamen non obligantur, qui Horas canonicas recitant juxta editiones jam existentes (Monitum S. Rituum Congregationis, 14 Decembris 1883.)

Attamen plura adhuc remanere in Breviario Romano emendanda aiunt critici. Fertur Summum Pontificem Leonem XIII velle in hunc finem suscipere emendationem Breviarii Romani (cfr. Acta Sanctæ Sedis, XXX, 1898, pag. 336, in nota c); quem in finem anno 1902 constituta fuit Commissio historico-liturgica, de qua dictum fuit in nota ad Q. 9.

C. LECTIONES TERTII NOCTURNI

Q. 34. *Quænam Lectiones dicuntur in tertio Nocturno?*

R: Priscis temporibus ad tertium Nocturnum Lectiones e Novo Testamento desumptæ legebantur, sicut etiam usque modo leguntur tribus diebus ante Pascha; non vero legebatur Evangelium, quia hoc Missæ lectioni erat destinatum.

Postea tertii Nocturni ordo mutatus fuit, et institutus ritus legendi Evangelii diei currentis initium tantum, ad nimiam Officii longitudinem evitandam, et deinde Homiliam seu cujusdam Patris ejusdem Evangelii explanationem.

Non raro ultima Lectio tertii Nocturni, seu nona in Officio novem Lectionum, omittitur, vel octavæ Lectioni adjungitur; et legitur nona Lectio vel de Sancto, vel de Homilia in Evangelium alicujus Dominicæ vel Feriæ. — De hac nona Lectione dicitur in Quæstionibus 213-215 tertiæ partis hujus Tractatus.

Similiter ibi (Q. 216) dicitur de Lectionibus in Officio trium Lectionum.

Sæculis VIII et IX varia pro his Lectionibus compilata fuerunt Homiliaria; tamquam præstantissimum habitum fuit illud quod confecit Paulus Diaconus, monachus Montis Cassini, cum Præfatione Caroli Magni, ex quo major pars Homiliarum quas usque hodie legimus desumpta fuit.

A criticis tamquam apocryphæ notantur circiter quinquaginta ex Homiliis tertii Nocturni, aut ex Sermonibus secundi No-

De Responsoriis (Q. 35. 36) 51

cturni quorundam Festorum; et quidem ex iis quæ recentius in Breviario inserta fuere. Tales notantur, ex. gr., Lectiones secundi Nocturni in Festo Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V., de Sermone S. Hieronymi, qui sæculo IX jam tamquam dubius, a Cardinali Baronio et omnibus criticis certe apocryphus censetur. (Cfr. Revue Bénédictine, Maredsous, VIII, 1891, pag. 270.)

Ecclesia non semper optimos codices selegit, sed illam lectionem quæ antiquo usu et traditione consecrata fuit, et nequidem curavit semper differentias juxta unam vel alteram editionem SS. Patrum corrigere. In Horis canonicis persolvendis provocamur non tam ad Patrologici studii dissertationes, quam ad pietatis nutritionem et morum emendationem, studiose inquirendo quid in Sermone nobis proponatur, etiamsi forsitan ab alio quam cui adscribitur propositum sit.

§ 2. LECTIONES BREVES

Q. 35. *In quibusnam Horis dicuntur Lectiones breves? Unde nomen habent?*

R. I. Lectiones breves præscribuntur legendæ in fine Primæ et in initio Completorii.

In Prima, hæc Lectio brevis locum tenet lectionis spiritualis, vel expositionis e regula ordinis, quam monachis in hac Officii parte prælegebat Lector.

In Completorio, S. Benedictus pro monachis statuerat, quod præcederet ad eorum ædificationem aliqua lectio aut collatio e vitis aut scriptis Patrum.

II. Utrique lectioni subrogata fuit in Breviario Romano Lectio quæ ob ejus abbreviationem brevis dicta fuit.

In Completorio semper eadem dicitur Lectio brevis, ut assignatur in Psalterio.

In Prima, quando celebratur Festum, pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nonæ, vel proprium vel de Communi; in Dominicis vero et in Feriis dicitur Lectio brevis in Psalterio assignata pro diversis temporibus anni.

§ 3. RESPONSORIA POST LECTIONES

Q. 36. *Quid sunt Responsoria quæ dicuntur post Lectiones? Quot constant partibus?*

R. I. Responsoria vocantur preces quas post Lectiones, id est, post quamlibet Lectionem, ad Matutinum dicimus; ideo instituta, ut quiescendi spatium legenti concederetur, et ei qui lecturus est se parandi;